... Univ. Jagell.
...is Philosophor.

1689. 2 mensis Aprilis. ~~Poezya 3061.~~

Gutkiewic Pauli: Palaestra virtutis et sapientiae – virtuti et honori VV. DD. XI. primae laureae Candidatorum – dedicata.

PALÆSTRA
VIRTVTIS & SAPIENTIÆ,

Post Victrices eruditi certaminis curas, amæ-
nissimis florum, & pretiosis gemmarum donis

INSIGNITA.

VIRTVTI & HONORI,

V.V.D.D. XI. Primæ Laureæ Candidatorum,

DVM

In Alma Vniuersitate Cracouiesi,

PER

Excellentissimum, ac Doctissimum Dominum,

D.M. ALBERTUM TOPINSKI,

Philosophiæ Doctorem, & Professorem, Collegam Minorem.

In frequentissima Illustrium Hospitum Corona,

Artium & Philosophiæ Baccalaurei,

ritu solenni renuntiarentur;

Amoris & gratulationis ergo.

A

V. PAULO SUTKIEWIC,

Eiusdem Laureæ Candidato,

Applausu panegyrico,

DEDICATA.

Anno Reparatæ Salutis, 1689. d. 2 April.

 CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



Flore Tibi Niueo pulcherrima LILIA candent,
Hortorumq; Tibi munera grata ferunt,
Interior facies animi Te qualis adornat
In Te tali etiam gradinat imbre polus:
Ex Pietate places Superis candoreq; Mentis
Virtutumq; Sacer flos Tibi totus adest
Hinc quoq; Virtutis niueo iam flore triumphans
Incipit in terris pulchra Corona Tuæ.

Perillustri, & Reuerendissimo Domino,
D. GEORGIO IANUSZOWIC,
I. V. DOCTORI,
Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis CANONICO,
& B. M. V. in Circulo Cracouiensi, ARCHIPRESBYTERO,
S. R. M. S.

Domino, D. & Patrono Amplissimo.

ATtonitam Orbis Vniuersi pupillam, quod magis deceat, & augustiori spectaculo occupet; non aliud est, quàm ingeniorum certamen. Perillustris & Reuerendissime Domine. *Conflictus hic, cruorem quidem non habet, cussóq; in Sicanijs rupibus Chalybe non agatur; & tamen manubias, sed innocentes circumfert: cædes, & vulnera non spirat, sæuoq; Marte non ferocit; & tamen in Capitolio gloriæ, supra Pompeios, & Cæsares, Coronas & triumphos recenset: solóq; intelligentiæ, inter confertissimas bonarum mentium acies æmulo nisu; ipsas etiam supernarum mentium intelligentias, ad plausum, & celeusmata vocat. Mucro ille Macedonicus, qui tota Perside, Hyrcanis, Bactris, & Sogdianis non contentus, vsq; ad Indiæ viscera perrupit; triumphauit quidem; sed idem quoq; Vespillo gentium Libitinarius fuit. Sanctior hic & gloriosior, qui ab ingenio stringitur vt siuè cæsim, siuè punctatim feriat, siuè vulnere vincat; florumq; & gemmarum delicijs coronetur. Certatum quoq; nuper à Nobis in Palæstra Virtutis & Sapientiæ, hoc innocenti quia eruditi certaminis genere; relatiq; floridi pariter & gemmei honores; quibus aliter, nisi sub Tuo candidissimo* Perillustris & Reuerendissime Domine, gentilitij LILII *coronamento, prodire non licuit; vt in Orbis literati facie, tanto speciosiùs comparerent. Candor quippe* Lilij Tui, *totus Eburneus, totus integerrimas animi Tui Niues, & Gratias spirans, Natales suos vt Coronatæ Vrbi, ita & Palladi Iagellonicæ debet; quæ pulcherrimum animi Tui decus, in Palæstra Virtutis & Sapientiæ Sanctè, & innocenter,*

ad exemplar omnis gloriæ cùm efformasset; Coronis quoq; Philosophicis Selectissimas dotes Tuas sic exornauit; vt Magnarum Mentium flos illibatus, Celsissimorumq; Principum, vnicum ex Teipso delicium fieres. Secuta vbiq; æstimatio Tui, excelsi animi magnitudine digna; Orbisq; Sarmatici iudicio, cultissimarum Europæ gentium, honorificus de Te accessit Sensus; cùm Doctoralis Iurisprudentiæ Laurea eruditas in Te adduxit Coronas. Authoritas exinde Nominis, & ex Virtute ac Sapientia decus; quod sanè apud Celsissimum olim Principem, ANDREAM TRZEBICKI *Episcopum Cracouiensem, illibata Meritorum Tuorum gloria, & diuturnitate, eousq; processerat; vt* Olor *ille niueus, nihil æquè dilexerit, quàm* Lilia Tua, *ipsis etiam pretiosissimis Peraugusti Capituli Cracouiensis, in triplici diademate gemmis feliciter inserta. Placuere hæc, Augustissimæ quoq; Cælorum Reginæ, liliorum omnium compendio, Summæq; post Deum puritatis miraculo; quæ Te in medio Cordis sui; quia in Meditullio Vrbis Cracouiensis, dilectæ in Circulo Basilicæ suæ Præsidem Insulâ Archipresbyterali voluit habere coronatum. Hic Tu, quanta pietate, quâ animi moderatione, quo Vitæ exemplo, quanto deniq; Diuini honoris, & Purissimæ Matris eius zelo emineas; non verba, sed lilia pro Te, & quidem tua loquantur: quorum suauissimâ fragrantiâ vrbem hanc, Regni & omnis elegantiæ Sedem, adeò impleuisti; vt ob incredibilem Virtutum Tuarum præstantiam, affabilitatisq; Tuæ & Comitatis gratias, omnium planè dilectio sis. Decor profectò ille quò intus nites Deoq; scrutatori cordium illimem conscientiam exhibes; etiam in decorem Domus Domini effusus, Basilicæ Virgineæ portas augustiores reddidit; vt Ciuitas hæc Dei, magnificentiùs à Te ornata illam Tibi aliquandò Ciuitatem aperiat; cuius plateæ aurum mũdum, & singulæ portæ, singulæ Margarethæ sunt. Sed processêre in maius quàm vt intra paginæ huius angustias veniant, mihi certè humanissimus gratiæ Tuæ sinus in voto est; vt eruditis hisce gemmis & floribus pateat, quibus Amplissimum Nomen Tuum veneror, & immortalitati consigno; habiturus id præcipuæ felicitatis loco; si inter Clientes tuos receptus, & eorum numero sim; qui cum Vota Superis pro Te faciunt, manibus dant* Lilia *plenis. Ita Cælestes gratiæ vberes Tibi sint; ita Meritis floridum, ætate longæuũ, honoribus eminens, nec nisi æternarũ Mentiũ purissimis manibus decerpendum,* Lilium Tuum, *cedat pulcherrime Vernantem, Ecclesiæ Dei in Coronam, quod vouet & precatur.*

PERILLVSTRIS, & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ,

Cliens Obsequentimus,

PAULUS SUTKIEWIC, Primæ Laureæ Candidatus.

B. JOANNI CANTIO CONFESSORI,
Regni Poloniæ, & Academiæ PATRONO.

In Argumentum deuotissimi cultûs, Manubiæ certaminis eruditi Lilijs coronatæ, & ad Sacros Cineres depositæ,

CUM LEMMATE:

Hæc per Te Lilia candent.

ERgo certamen graue, literatis
Vicimus curis, meritosq; plausus
Musa fert Nobis, varioq; frontem
Flore coronat.

Iusta sudato Capiti, per altas
Cracidos Sedes, viruisse laurus
Cernitur, quando spolijs togata
Pallas abundat.

Seriùs doctis labor in Cathedris
Victor exultat; niueisq; latè
Floridus nimbis, meruisse docta
Gaudet in vmbra.

Sed quis hæc Nobis pretiosa, magni
Dona conflictus, & amica Phæbo
Serta tot florum, dedit auspicati
Omine ductus?

Tu triumphorum Venerande Princeps,
Diue certantûm Pater, & triumphi
Magna Spes nostri, Sapientis ingens
Gloria Stoæ.

Tu laborantes ad honoris augem
Ducis, & vires animi ministras;
Erigis mentes, solidoq; rerum
Cardine firmas.

Sanctitas Vitæ Tua, totq; fulgens
Gratijs Virtus, Cinerisq; Sacri
Dulce depostûm, tot habens fauentis
Munera Cæli.

Hic Sacer Nobis genius; Tuoq;
Spiritu spirat, quod in erudita
Viuit, & spirat Stagyræ Palæstra,
Lumine dignum.

Si quid & Nobis tribuit, Supernus
Flaminis summi fauor; id pererenni
Reddimus cultu Tibi, iamq; Sacris
Subdimus Aris.

En Tibi cedit niueis Corona
Lilijs candens; decet innocens hic
Te Patrem candor, decet hæc venustas
Sacra Patronum.

Quando Naturæ reuirescit Ordo,
Pulchra florentis Speciesq; mundi;
Nos triumphales Tibi liliorum,
Spargimus imbres.

Principi Nostro, Patriæq; dulci,
Mentibus doctis, Craciæquè Matri
Tu Coronatos dabis Alme CANTI,
Mille triumphos.

Clarissimis, Admodùm Reverendis, & Excellentissimis Dominis

EXAMINATORIBUS.

Clarissimo, & Excellentissimo Domino,

D. M. MARTINO OSLINSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio Professori, ac interea Philosophiæ Facultatis DECANO.

Clarissimo, & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. IOANNI BALICKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio & Hæbraicæ Linguæ Ordinario Professori, CANONICO Sanctæ ANNÆ.

Excellentissimo, & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. ALBERTO IODŁOWSKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, SS. Omnium CANONICO, certaminis eruditi Doctissimis Præsidibus in vim debitæ Venerationis & gratitudinis.

Tres

Tres Hyblææ ROSÆ, admirandâ Pyrrhi Regis gemmâ signatæ,

CUM EPIGRAPHE:

Et decor, & pretium.

REgale florum delicium Rosa,
Quæ purpuratis fulgurat ignibus
Ostroq; se tollens rubenti
Exsuperat genus omne florum:
Hyblæa vobis munera gratiæ,
Inserta gemmæ dedicat vnicæ
Natura rerum in qua seipsam,
Aõnij stupuit Senatus.
Expressione & Castalidum Patris
Manumq; Pyrrhi Regis in annulo,
Prisco stupendam fecit æuo
Ingenijs, calamisq; dignam.
Hæc est triumphi gloria maximi;
Quæ tota vobis cedit, amabili
Nexu rosarum, gemmeisq;
Dulcè micat pretiosa donis
Certamen istud nam satis arduum
Quod iam peractum est, Vos Sapientiæ
Duces, & augustæ palæstræ,
Nomina prima fauente plausu.
Vicisse Nobis, per varios Stoæ
Dedistis ausus; totaq; portio
Honoris, est Vestri Corona
Nominis, & decus Vniuersum.
An non Rosarum grandine floridâ,
Gemmisquè dignum est? quod nitet in Tuæ
Virtutis OSLINSKI triumpho;
Quo Stagyræ Caput eruditum.
In Te refulget; purpureis apex
Quando togatus floribus, omnia
In Te coronat. Tuq; Præses
Paranimo, titulisq; maior.
Stoæ gubernas docta Sacraria;
Præstans vt altæ mentis acumine
Et plenus arcano Sophorum
Dogmate, per Cathedrasq; passim.

Doctas triumphans; sic calamo quoquè,
In luce felix publica, & aureæ
Fluore Suadæ; barbitoq;
Dulcifluo cecinisse dignus.
Tot elegantes ingenij Tui
Partus, amæno carmine floridus;
Plaususq; per lætos iturus,
Quò Tua Te vocat alma Virtus.
Vernans, BALICKI, Te quoq; gratiæ
Ambit Coronis, scilicet hoc agit
Nomen IOANNIS gratiosum,
Indicium bonitatis, intus.
Quæ dulcis in Te spirat Ethesias,
Mentis fauentes Tu placidis Sacras
Suadæ fluentis per Cathedras
Lenè fluis, retinesq; suaui
Aures catenâ. Tu Sophus eminens,
Sensus profundos vt capis; in fibras
Sic audientûm fructuosè,
Iudicio satis erudito.
Transmittis; & sic Te Peripateus,
Sublimat altis ex meritis honos.
Et Te rosarum purpurata
Copia, puniceis inundat.
Nimbis. IODŁOWSKI Tu Cracidos decus,
Tu fons diserti Nectaris exedræ
Tu Sidus aureum Sacratæ,
Flos Themidis, Canonum voluptas.
Seu Te Sophorum dogma velit sibi,
Seu Te Palæstræ Iustinianeæ
Delphi requirant; par vtraq;
Laude nites, Meritisq; certas.
Sint ergo Vobis, gemmea cum Rosis
Dicata Seclis dona perennibus;
Et tota Maiestas honorum,
Purpureo decorata cultu
In Vos redundet; milleq; gratijs
Vos omnis ætas efferat; vt decor
Per Vos coronati laboris,
Et pretium Meriti triumphet.

PALÆSTRA
VIRTVTIS & SAPIENTIÆ,
Post Victrices eruditi certaminis curas, amænissimis florum & pretiosis gemmarum donis
INSIGNITA.
I. V. & Rẽdo D. CHRISTOPHORO ZDANOWSKI, Presbytero,

Vernantibus Hymetti rosis, Hiacynthina gemma ex Sacro antiquæ legis Summorum Sacerdotum pectorali coniuncta,

CUM LEMMATE:
Animo Cælestia spiras.

PRima coronati Capitis, Te gloria poscit
Purpureis decorata rosis, gemmisq; coruscans,
Quæ Cæli faciem referunt; Cælestibus Aris
Tu quoquè nam purasquè manus, mentemquè dicasti;
Verticis eccè Sacri fastigia flos Tibi cingit
Dulcis, Odoratus, plenus Vernantis Hymetti
Delicio, spiransq; Sacras thymiamata ad Aras;
Cui Cæleste iubar, radians Hyacinthus amico
Fædere se iungit, quo Te fulgentius ornet.
Hoc Tua dos animi pulcherrima nempè meretur,
Ingenijq; nitor, Virtutis gratia flosquè
Eloquij, Cytharaq; melos; dulcedine mirâ
Quæ cecinit Matris Diuinæ encomia, claram
Lauretiquè Domum, postquam feliciter Oras
Ausonias, Sacro licuit Tibi Visere cultu.
Roxolanus certè genius, Tibi nobile carmen
Et Natale decus tribuit, præclaraq; Suadæ
Munera ZDANOWSKI. Sed Tu coniungere laurus
Palladias, Sacris Meritis dùm pulchriùs optas;
Esto Sacerdotum flos vernans, esto togati
Vt Cælum fulgens Hiacynthia gemma Senatus.

III. V. D. ALBERTO CASIMIRO ROZNOWIC,

Ex Prænestinis rosis corona, fulgurantibus Amianthi gemmæ ignibus, interlucens,

CUM EPIGRAPHE:

Et ornat, & radiat.

INsigne Nomen, quæ meruit rosa
Decus Venustum purpureo ferens
Ostro laboratum, per Oras
Climatis Hesperij Virentes,
Nexus decori cis Tua tempora
Eburq; frontis cis niueum Tuæ
Florente ROZNOWIC corona
Ecce rubens, iaculatur ignes.
Gemma micantes ex Amianthea
Sic elegantes ingenij Tui
Dotes requirunt. sic meretur
Os roseum, Sapidoq; tinctum.
Facundioris nectare fluminis,
Sic poscit ætas florida; quam Tibi
Musæ Stanislauouienses
Sub Cruce Potocia triumphis.
Rubente magnis, vndiq; gratijs,
Cultam dederunt; vt tua tempora
Togata Pallas, nunc rosarum
Murice purpureo, coronet.

IV. V. D. IOANNI FABIANKOWSKI,

Vernantis nexus Violæ, Amethysti gemmæ, simili per omnia colori sociatus,

CUM EPIGRAPHE:

Suada & indole vernas.

NAscentes violas, dulcis amænitas
Primi Veris habet; quando rigentibus,
Brumæ frigoribus soluitur, & nouam
Orbis temperiem induit.
Ex hoc purpurei temporis omine,
Pulcher flos violæ, Te FABIANKOWI
Cum gemma decorat, cûi similes gerit
Claro lumine gratias.
Vernantes animi delicias enim
Musis grata, Tibi contulit indoles,
Felici genio mentis ad omnia
Et vis eloquij Tui.

Hoc

Hoc in Te roseum, dulce, tot Attici
Fundit mellis opes; quot violas habent
Veris primitiæ, gemmea quot micant,
Regum fronte monilia.
Ibis flexamini dotibus eloqui
Clarus per Cathedras, laurigero gradu,
Et fies Sapidi nectare Tullij,
Dulcis gratia mentium.

V. V. D. SIGISMUNDO LISOWIC,

Aurei Coloris flos Chrysocome cum Adamante Indico, maximi pretij & fulgoris pulcherrimè coruscans,

CUM LEMMATE:
Aurea mens inuicta malis.

FLorida Naturæ bonitas, pulcherrima rerum,
Ornamenta ferens, dum vernis vndiq; donis,
Alcinoi, Floræq; decus mirabile pandit;
In Tua LISOWIC, generosæ munera frontis
Auricomas effundit opes, adamanteq; toto
Te solidat roburq; amimi cum luce ministrat.
Dignus es hac gemmâ Sapiens, quæ pectus obarmat,
Non cedente malis Virtute per omnia tollens
Infractum genium, modò sit mens conscia recti.
Nempè Tibi studium felici tramite ductum,
Fundatum solidè, voto respondit amico;
Ardua seu doctæ poscebant pulpita Stoæ;
Seu Latium voluit, facundo cultiùs ore,
Grata loqui, dulcesq; animi componere Sensus,
Par Tibi vis Suadæ quando Tu fœdera Sacra
Totq; Monarcharum Nexus vincire beatos
Contra Threycias acies satis ore diserto
Suasisti, ductu sapido matura locutus
Hinc Te Chrysocome flos aureus, hinc adamantis
Cum fulgore decus solidum præcingit; vt Orbi
Monstret Te merita doctæ Virtutis in auge.

VI. V. D. MATHIÆ CELEIOWIC,

Flori Mellisophilon dicto, Syderites gemma, eximiæ soliditatis & gratiæ adiuncta.

CUM EPIGRAPHE:
Quo Sydera ducunt.

ARcano veniunt arbitrio poli,
Quæ rerum seriem desuper ordinant;
Decretoque perenni,
Orbis judicium subest.

Hoc dum Vir Sapiens mente agitat sua,
In Cælos animum tollit & omnia
Magno pectore suffert,
Quæ Diuûm statuit Tripos.
Præstans hoc animi iudicium Tibi,
CELEIOWIC adest dum Sapientiæ
Legem sat benè censes,
Cæleste arbitrium sequi.
Dotes ergo Tuas, pulchraquè pectoris
Ornamenta Tui, dulcè liquentibus
Suadæ iuncta fluentis,
Tollent Sydera celsiùs.
Flos Mellisophilon purpureus Tibi,
Hinc & gemma nitens lumine Syderum,
Spondent omine fausto,
Dignum Nomen honoribus.

VII. V. D. MATHÆO KAWCZYKIEWIC,

Purpureus flos Amaranthi, cum radiantibus Carbunculi gemmæ flammis effulgens:

CUM LEMMATE:

Mens Tibi lucida claret.

Nil erudito pectore gratiùs,
Iubarq; nullum fulgidius nitet;
Quam quod serenauit corusca
Lux animi, Sapientiaquè.
Cæleste pignus; quod tenebras procul
Fugans opacas, nubila mentium,
Dispellit, & diem beatam
Fert animi Sapientis ortu.
Hæc KAWCZYKIEWIC lucida claritas,
Præclara dos est ingenij Tui;
Quandò Sophorum per Cathedras,
Peruigili studio nitescit,
Dilecta Stoæ mens Tua; quâ capis
Sensus profundè difficiles Sophum;
Et quidquid arcanum togato,
Proposuit Peripatus Orbi.
Sic Amaranthi flos roseus Tibi
Cedit, coruscans gemmaq; fulgurat;
Quâ Tu coronato Sophorum,
Lux Sapiens eris in theatro.

VIII. V.D. ALBERTO WASNIOWSKI,

Floris Abrotoni perpetuò virentis gratia cum Topazij gemmæ pulcherrimo virore conueniens.

CVM

CUM EPIGRAPHE:
Eloquij ſic vernat honos,

NAturæ genio virens in hortis,
Te flos Abrotoni ſuo coronat
Cultu perpetui Viroris; in quo
Suadæ vis Tua cernitur vireſcens!
WASNIOWSKI, quoniam nitor diſerti
Ornat Te eloquij; coruſca iungit
Cûi Topazius eminentioris
Gemmæ lumina, gratiaſq; vultûs
Pleno ſidere dulcè fulgurantis.
Hic eſt gemmeus ille floriduſquè
Oris flexanimi decor; Latina
Quo Te Suada Virum, per alta reddet
Olim culmina flore Tulliano.
Vernantem; quod honore laureato,
Dotes ingenij Tui merentur,
Et Virtutis amor, modeſtiæquè,
Dulcis gratia; quâ Tibi Togatas.
Mentes concilias; vt eleganti
Præſtans indole, Craciæ Mineruæ,
Fias dulce decus, Virenſquè gemma.

IX. V. D. IOANNI ISTUBOWIC,
Flos Lauri Virentis, Calaidis gemmæ pretioſum decus circumdans,
CUM LEMMATE:
Sapiens cum lauru perennat.

VErnantes animos, laurus digniſſima Phœbo,
Iure triumphali cingere flore ſolet.
Nempè velut laurus, ſpecioſo germine vincit,
Egelidi Boreæ tela, rigenſq; malum;
Sic animus Sapiens, faſtiſq; perennibus aptus
Inuicto mentis robore, cuncta domat;
Æoliaſq; hyemes & ſæui nubila Ponti,
Et quidquid vani Spectra timoris habet.
Pectore conſtanti & ſolida Virtute triumphat,
Perpendens intus dogmata clara Sophum;
Qualia Tu ſequeris, penetras, diſcernis, amaſq;
ISTVBOWIC, doctæ gloria pulchra Stoæ.
Ingenio, ſtudioq; pari, Senſuſq; modeſti
Laude, Togatorum dignus habere decus.
Hoc Tibi cum gemmæ pretioſo munere venit
Palladiumq; in Te, rite coronat opus
Calaidis viror hic, & pulchrè, laurea vernans
Symbola ſunt animi lumine digna Tui
Clarebis Virtute Tuâ, Studioq; Virebis,
Dum Te Stoa Sophum, dum Peripatus amat.

X. V. D. MARTINO FIDETOWIC,

Eximia Narcissi floris Venustas Chrysoprasi gemmæ natiuum fulgorem adornans,

CUM EPIGRAPHE:

Flos & ſplendor eloquij.

DIcendi faciles dum Tibi Gratiæ,
Pulchrum nobilitant eloquij decus;
Iuſto, FIDETOWIC, Te ſequitur gradu,
Vernans gloria Palladis.
Narciſſos loqueris, verbaq; floridis
Exornata modis dum Latium Tibi
Facundè ſapit & Suada Demoſthenis,
Senſus germinat aureos.
Narciſſis igitur gemma Chryſopraſi,
In Te iuncta micet. ſcilicet hoc agit,
Oris pulcher honos, luxq; animi Tui
Tantis digna nitoribus.
Præſtas ingenio cultaq; pectoris
Ornamenta Tui celſiùs eminent;
Dum Te flos Charitum cingit & eloquîj
Fulgorem celebrat Tui.
Sic gratus Cathedris ex Sapientiæ,
Dono, & flexanimo nectare Tullij;
Inter Laurigeros Neſtor eris Viros,
Vincens intima cordium.

XI. V. D. IOANNI NAGY HUNGARO,

Flos Palmæ arboris Smaragdi gemmæ maximi pretij nitorē coronans.

CUM LEMMATE:

Hic doctæ Virtutis honos.

ALtiùs ſurgens onerumq; ſemper
Palma Te Victrix, meritò coronat
Flore Muſarum, ſimul & Virentis
Gemma Smaragdi.
Nempè vicinus Lechico Trioni
Axis Hungaro dedit è Vireto
Te, NAGY, florem Cracijs Camænis
Dulcè Virentem;
Hoc amor fecit Studij, Togaque,
Et Sophûm Stoæ decus eruditæ;
Quod peregrinas graue non putâſſes
Viſere Muſas.

Hic pa-

Hic patet, quantùm Cathedris Sophorum
Cura Te felix, solidumq; pectus;
Fecerit; quando Craciæ prehendis
Munera laurus.
Ergo Victricis generosa palmæ
Dona cum gemma referens Virenti
Vince Fortunam, Sapiensq; Virtus
Sit Tua Victrix.

I. V. D. PAULO SUTKIEWIC,
Primæ Laureæ Candidato,
AUTHORI OPERIS.

In vim mutui affectûs, & gratulatorij applausus, offert.

CHISTOPHORVS ZDANOWSKI,
Eiusdem Laureæ Candidatus.

Floridum Cornucopiæ, Margaritis ex Erythræo Mari Coronatum,

CUM LEMMATE:

Cum gemmis Tibi crescit adorea florum.

HYbla Parens florum, quam vernans copia dulci.
Sepsit odoratu Charitum; Zephyriq; tepentes
In noua congestis cinxerunt Serta, corollis.
Deme precor capiti Etnæo, vel detrahe fronti.
Quâ tulit ante suum Cereris mala filia raptum.
Emeritùm redimito caput labor imminet vrgent.
Vere recens remeante noui cum sole Corymbi.
PAVLVM SVTKIEWIC manet hac de messe Corona,
Laurea prima manet; calathi procul ite profani,
Expirate rosæ, decrescite Lilia tantæ.
Elysius debetur honos & adorea palmæ.
Hesperia meruit pretiosa ex arbore, quid plus.
Et tulit auratis potiora cacumina pomis
Deq; Erythræis conflata monialia gemmis,
Nempè Iagiellonio pendentia præmia Sceptro.
PAVLE capessis ouans; vittataq; tempora docto.
Palladis exactæ consignans ritè trophæo.
Quo nitet Alma Parens, Doctorum Academia nutrix.
Te Prolem complexa suam, Virtute decoram;
Quam videt aptari Musis, Genioq; locoq;
Cum Patrios Tibi Cracus alat pro dote Penates.
Laurigero capiti inscripta, Studijsq; sacrata.
Scilicet hæredem Regalis lege Mineruæ.
Te Natale solum facit, atq; Scientia Laurus.
Annos quid referam? cum Palladis atria florem.
Florem illibatum Vitæ, Studijq; medullam.
Exposuêre Tuam luci, quid publica Stoæ.

Pulpita ſublimis animi faſtigia dicam;
Tota Tibi certè Muſarum gratia totus,
Pegaſidumq; Chorus pulcherrima munera donat,
Ingenio quaſita Tuo, nam Palladis ingens,
Tu fies alquando decus, Vatumq; Corona.
Hinc igitur meritæ fronti cumulentur honores.
Verna ſinu quot Flora fouet, quot nutrit Hymettus.
Lilia, pupureaſq; roſas, gemmæq; quot alto
Ocæani latitant fundo; tot ſæcula Viue.
Palladiamq; Tuis exorna dotibus Vrbem.
Sic Tibi Noſtra canit Clio teſtudine dulci,
Sic Tibi Fraterno deuincti corde Vouemus.



SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perilluſtris, & Reuerendiſsimi Domini,

D. M. MARTINI WINKLER,

S. TH: DOCTORIS & PROFESSORIS,
COLLEGII MAIORIS SENIORIS PATRIS,
Eccleſiarum, Cathedralis Cracouienſis CANONICI, Collegiatarum, Sendomirienſis Præpoſiti, Scholaſtici Kielcenſis, Curati Premykouienſis, Scholarum Nouoduorſcianarum, & Contubernij Gielaniani Prouiſoris, &c.

Studij Uniuerſitatis Cracouienſis, Generalis & Vigilantiſſimi

RECTORIS.